

§ 110. An, sicubi aderit Gellius, homo et fratre indignus.

L. Marcius Philippus, vir honestissime cognitus, qui etiam collega Cn. Lentulo Marcellino in consulatu fuit, fratrem hunc habebat uterinum L. Gellium et ipsum, 5 quantum apparet, Ciceronis inimicum. In quantum igitur laudem Filippi fratris eius extulit, in tantum hunc defloravit, qui dissimilis extiterit.

§ 113. Fuit collegium nuper tribunicium, in quo tres minime, duo vehementer populares existimabantur. 10

De collegio videtur loqui tribunorum, qui fuerunt C. Caesaris et M. Bibuli consulatu; sed obnixae popularitatis duos intellegere debemus: P. Vatinius et C. Alfium, qui vehementer actiones Caesaris adiuverunt. Tres autem, 15 quos minime populares ait, Cn. Domitius Calvinus et Q. Ancharius et C. Fannius; ex quibus iam duo praetores erant designati, tertius eandem spem sibi honoris pollicebatur, C. Fannius scilicet.

§ 114. Quid? populares illi duo. 20

C. Alfius et P. Vatinius. De Alfio tamen clementer loquitur, magis quasi de viro insapiente quam de malo; asperius aliquantum de P. Vatino, sed utrumque honorem, quem petere instituerat, nullo modo consecutum populo refragante, quod iudicaret indignos. 25

§ 116. Qui ludos apparatusissimos fecisti.

De aedilitate M. Scauri et opulentia ludorum plenissime dixit in ea oratione, qua ipsum quoque M. Scaurum defendit.